

conflictu prior tempore vincit. Supposita enim existentia certæ obligationis, non potest introduci alia obligatio ejusdem generis et ponderis contraria priori.

TITULUS V.

De conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus.

1. Consensus, per quem contractus perficitur, potest exprimi *pure et simpliciter, vel aliquid eidem adjici potest.*

Prima et præcipua adjectio, quæ contractibus accedit, est conditio, cujus notio est ut definiatur '*Adjectio quedam contractui apposita, obligationem suspendens in tempus vel in eventum futurum*'. Hinc *proprie* conditio non est quæ de præsentis, vel de præterito est, ex. gr. contraho tecum si es filia ducis. Hæc enim adjectio non suspendit obligationem, sed obligatio statim urget vel non urget, prout verificatur vel non id quod supponitur.

2. *Improprie* autem hæc adjectio dicitur conditio, quia tempore contractus ignoratur, seu dubia est veritas cujusdam qualitatis, quæ principaliter intenditur in contractu.

Impropriis conditionibus accensetur etiam *conditio necessaria de futuro*. Quod enim certe eveniet, haberi potest uti præsens. Hinc in l. 9 ff. '*De novationibus*' dicitur '*Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino exitura est, pure videtur stipulari*'.

3. Indoles vero *proprie* dictæ conditionis est, ut referat obligationem, in aliquem futurum eventum, ita ut voluntas non sit voluntas quoadusque eventus futurus non fiat præsens, sive ille sit *fortuitus*, seu *casualis*, sive sit *potestativus*, scilicet nostro arbitrio remissus.

Hinc in æstimanda conditione, eaque distinguenda ab aliis adjectionibus, constare debet contrahentes noluisse ratam habere obligationem, priusquam adjectio expleatur.

4. Conditiones dividuntur in *possibiles* et *impossibiles*. Possibilis est, quæ rerum naturalium ordinem non superat, secus dicitur impossibilis; quemadmodum esset quæ in legibus Romanis adducitur '*Si digito cælum tetigeris*' quia vires nostras superat. Hinc in conditionibus potestativis possibilitas ex viribus agentis æstimatur.

5. Conditiones possunt esse *honestæ* vel *turpes*. Honestæ sunt illæ, quæ nulli legi, sive naturali, sive divino-positivæ, sive etiam

humanæ adversantur. Inhonestæ vel turpes illæ dicuntur, quæ sunt contra bonos mores vel leges.

6. Inter inhonestas conditiones nonnullæ sunt contra substantiam conjugii, quia bonis substantialibus ejusdem adversantur. Tria autem sunt bona conjugii substantialia, scilicet bonum prolis, bonum fidei, bonum sacramenti. Quare 1^o. contra substantiam conjugii sunt conditiones, quæ adversantur bono prolis, ad cujus honestam procreationem ordinatur matrimonium, ex. gr. contraho tecum si prolem evites, si prolem occidas; 2^o. contra substantiam conjugii sunt conditiones positæ contra bonum fidei seu fidelitatis observandæ a conjugibus. Nam cum matrimonium ordinatum sit ad individuum societatem unius cum una, ita ut vir non habeat potestatem corporis sui sed mulier et viceversa (*1. Cor. VII.*), ex ipsa natura matrimonii fluit necessitas mutuæ fidei inter conjuges servandæ. Hinc esset contra substantiam matrimonii hæc conditio '*contraho tecum, dummodo te adulterandam quæstus causa tradas*'. 3^o. Substantiales turpes sunt conditiones, quæ bono sacramenti opponuntur. Ex ratione siquidem sacramenti exurgit vera indissolubilitas matrimonii christiani. Hinc si consensus alligaretur eventui futuro, ex quo dissolveretur matrimonium, conditio hæc esset contra substantiam ejusdem matrimonii ex. gr. contraho tecum donec inveniam aliam te ditiozem.

7. Quæritur utrum matrimonio adjici possint conditiones.

De matrimonio habemus cap. 5. h. t. Urbanus III. in hoc capite respondens in specie proposita de juvene, qui contraxerat sub conditione '*si pater consensisset*', videtur hanc conditionem admittere, quamvis hæc conditio durior præ aliis sit. Est enim potestativa, arbitrio tertiæ personæ remittens exitum obligationis conjugalis contractus.

8. Verum ob incommoda, quæ inde advenerant, et advenire possunt ob suspensam obligationem, necnon ob incertam determinationem implementi conditionis, ex quo oriri possunt non paucæ dubietates et quæstiones, inductum est saltem in praxi, ut non admittatur celebratio matrimonii, in forma conditionata, nisi gravis ratio suadeat conditionalem consensum ponendum esse.

9. Quid vero dicendum si de facto matrimonium sub conditione celebratum fuerit?

Quoniam conditiones possunt esse honestæ et inhonestæ, possibiles et impossibiles, sermo sit, primo loco:

De conditionibus honestis et possibilibus.

Cum ea sit natura conditionis, ut in quolibet contractu obligationem suspendat, dicendum est matrimonium etiam sub honesta et possibili conditione initum non valere nec obligare, donec non adimpleatur conditio apposita. Ita communis Doctorum sententia, quæ evidenter inferitur ex cap. 5. h. t. ubi Urbanus III. ait, juvenem qui sub conditione consenserat, non teneri ad matrimonium consummandum antequam verificaretur conditio, quia consensus non est de præsentis habendus, licet verbis de præsentis sit expressus.

Et revera. Consensus conditionatus duplicem dubitationem implicite secum trahit 1^o. utrum matrimonium aliquando futurum erit; 2^o. quandonam futurum erit matrimonium. Igitur illico post celebrationem matrimonium conditionatum obligare non potest.

10. Ex modo autem loquendi Urbani III. enascitur quæstio '*Utrum necne purificata conditione, eo ipso censeatur purificatus consensus, ita ut statim valeat matrimonium vel renovandus sit consensus.*' Et quidem Urbanus III. ait, conditionalem consensum non esse de præsentis habendum. Igitur ex sensu contrario videtur esse consensus de futuro, idest matrimonium conditionatum videtur æquiparandum esse sponsalibus; nec proinde obligare post completam conditionem, nisi novus accedat consensus.

In hac quæstione diversa est sentiendi ratio Theologorum et Canonistarum.

Theologi enim duce S. Thoma *Dist. XXIX. q. unic. art. 3. q. 3.*, tenent matrimonium conditionatum reduci ad contractum sponsalium de futuro.

11. Canonistæ autem adhærentes conceptui juridico contractus conditionati, tenent matrimonium conditionatum esse verum matrimonium, eo ipso quod conditio impleatur. Dispositio enim conditionata, adveniente conditione, pura redditur, et ex eo tempore perficitur perinde ac si ab initio pure facta fuisset. *Leg. II. § 1 ff. Qui potiores in pignoribus habeantur.*

Accedit ratio ex cap. 5. h. t. Nam Urbanus III. ait juvenem non teneri ad matrimonium consummandum, ante eventum conditionis; ergo, ex sensu contrario tenetur post eundem eventum.

Verum hac in re quid theoretice sit tenendum, quidve in praxi servandum, deprehenditur ex resolutione S. Congreg. Concilii, quam fuse exponit Fagnanus in comm. ad cap. 5. h. t. numm. 4. et seqq.

12. Duo, Parocho adstante, et testibus contraxerunt matrimonium de præsentis sub honesta et possibili conditione. Purificata conditione quæsitum est an eo ipso matrimonium consisteret, vel renovandus esset consensus coram Parocho et testibus. Plerique Patres in congregatione dixerunt, renovandum esse consensum coram Parocho et testibus, quia Concilium Tridentinum videtur locutum fuisse de matrimonio perfecto per verba de præsentis, cum requisivit præsentiam Parochi in matrimonio. Ergo cum in matrimonio sub forma conditionata non de præsentis, sed potius de futuro agatur, præsentia Parochi et testium iterum requiritur quando consensus de futuro fit de præsentis per ratihabitionem primi contractus.

Res delata est S. Pio V., qui visus est probare sententiam canonistarum, quæ tenet purificata conditione, non esse renovandum consensum coram Parocho, nec difficultatem ex Concilio Tridentino ad rem facere.

13. Quæstio iterum proposita est in S. Congr. Concilii, et Patres omnes, præter unum, canonistarum sententiæ adhæserunt.

Resolutio relata est Clementi VIII., qui visus est dubitare, quia licet ante Tridentinum Concilium matrimonium contractum absque ulla solemnitate valisset, et proinde contractus conditionatus adveniente conditione natura sua transisset in contractum purum et simplicem idest in verum matrimonium, tamen aliter tenendum esse videbatur, post inductam formam contractus conjugalium per Tridentinum Concilium. Nam ex una parte certum est requiri formam Tridentinam in matrimonio, ex altera parte non videtur posse attendi forma solemnitas adhibita ab initio. Sane quando receditur a conditione, nulla solemnitas adhibetur; aliqua autem adhibenda esset solemnitas in resolutione contractus, si partes obligatæ censerentur solemnitate adhibita in celebratione matrimonii conditionati. Ex hac animadversione videbatur non esse sufficiens, prior consensus, sed novus necessarius videbatur iterum coram Parocho, et testibus exprimendus, respectu habito, ad id quod circa matrimonii formam Conc. Tridentinum statuerat.

14. Sacra autem Congregatio advertit, non verificari paritatem, inter casum quo receditur a conditione posita, et casum quo conditio expletur. In hoc enim secundo casu solummodo, juxta naturam contractus, prior solemnitas præsentis Parochi, et testium in celebratione matrimonii censeatur virtute sua perseverare, usque ad

tempus adimpletæ conditionis. Ex hoc autem fit, ut consensus conditionatus fiat purus, et unicus defectus, qui in matrimonio existebat, idest suspensio obligationis, tollatur per adventum conditionis, idest suspensio obligationis disparet.

15. Summus Pontifex probavit decisionem S. Congregationis, in proposita causa, at noluit hanc decisionem omnibus casibus inservire posse, sed voluit omnes casus, qui forte accidissent in futurum, esse specialiter considerandos cum suis circumstantiis. En igitur norma.

16. Quæritur quid dicendum si matrimonio adjiciantur conditiones turpes simpliciter, vel impossibiles?

Huic quæstioni respondet cap. ult. h. t. ubi Gregorius IX. distinguens inter condiciones contra substantiam matrimonii, et alias licet turpes vel impossibiles, ait, matrimonium contractum sub aliqua conditione simpliciter turpi aut impossibili statim valere, et conditionem pro non adjecta haberi. Unde Doctores dicunt condiciones simpliciter turpes aut impossibiles *vitiare seipsas*, non autem vitiare matrimonium cui adjiciuntur. Sapiens quidem conclusio hæc est. Nam ex una parte salva est contractus substantia, cui non adversatur conditio apposita, ex altera parte favor matrimonii 1^o. exigit ut pro sua sanctitate non alligetur turpi alicui eventui, a quo pendeat, et 2^o. pro sua gravitate exigit ut non referat imaginem illusoriæ et ridiculæ negotiationis, prout est contractus alligatus conditioni impossibili. Hinc merito jus præsumit contrahentes, qui substantiam matrimonii lædere non intendunt, serio non posuisse condiciones simpliciter turpes vel impossibiles.

17. Hæc præsumptio juris, ut diximus, procedit ex favore matrimonii. Nam cum condiciones turpes vel impossibiles, aliis contractibus adjectæ, vitiant ipsum contractum, e contra in matrimonio eadem condiciones vitiant seipsas. Favor hujusmodi inductus est in similitudinem causæ testamenti, et causæ libertatis, quæ causæ favorabiles esse in jure censentur, favor autem præcipue in eo consistit, ut jus præsumat in favorem causæ, quoad usque contrarium non demonstratur. Qui favor relate ad matrimonium expresse exhibetur, in cap. ult. *De sentent. et re judicata*, quod tradit, in dubio ad evitanda pericula animarum, quæ orirentur ex dissolutione matrimonii forsitan validi, semper præsumendum esse pro valore matrimonii.

Hinc in re nostra, quoniam qui ponit conditionem turpem vel impossibilem in matrimonio, incertum est utrum serio eas posuerit vel non, lex ipsa interpretatur voluntatem contrahentium, et statuit hanc fuisse sinceram quidem, et determinatam ad contrahendum matrimonium, non autem seriam fuisse relate ad conditionem.

Animadvertendum vero est hæc omnia procedere ex præsumptione legis ita interpretantis voluntatem contrahentium. Hanc autem præsumptionem haud esse juris et de jure, sed esse solum juris, quæ proinde probationem in contrario sensu non excludit. Id est si pateat consensum fuisse alligatum turpi conditioni aut impossibili, ob non verificatam conditionem, matrimonium, quod in consensu consistit, non sustinetur.

18. Quid vero si condiciones adjiciantur matrimonio contra substantiam ejusdem?

In eodem cap. ult. h. t. Gregorius IX. tradit matrimonium esse nullum. Hinc Doctores dicunt, condiciones contra substantiam matrimonii vitiare matrimonium et non vitiare seipsas. Quamvis enim causa matrimonii sit maxime favorabilis, adeo ut in dubio ipsum jus interpretetur dubium pro valore matrimonii, tamen ipse favor efficere nequit, ut supponatur existere contractum ubi revera et certo non existit. Idest lex potest interpretari voluntatem, ubi adsit dubitatio, non potest autem voluntatem ex integro fingere et creare, ubi non adest prorsus.

Jamvero quando contractui matrimonii adjicitur conditio contra substantiam ejus, contractus non existit, nam non existit voluntas contrahendi. Qui enim vult aliquid contra substantiam contractus, non vult contrahere: censetur enim in mente habere objectum toto cælo diversum ab eo circa quod consensum exterius exprimit. Ergo in hypothesi, deest reapse consensus, ac proinde matrimonium non valet.

19. Quæritur an conditio illa '*Si prolem evites*', sit semper contra substantiam matrimonii, et illud reddat nullum.

Hæc conditio in duplicem aliam conditionem resolvi potest; 1^o. si prolem evites per nefas ex. gr. per procuracionem abortus, vel per crimen onanismi; 2^o. si prolem evites servando castitatem. Prior conditio est semper turpis et adversa substantiæ matrimonii, et per consequens matrimonium nullum reddit.

20. Secunda conditio honesta est. Verum, estne conditio hæc contra substantiam matrimonii?

Doctores nonnulli tenent non adversari substantiæ matrimonii. Nam 1^o. distingui potest ipsum *jus et dominium in corpora, ab usu juris ipsius*. Per matrimonium traditur jus, per conditionem contrahitur obligatio non utendi jure, vel juxta aliquos, in matrimonio sufficit si tradatur *jus remotum et radicale* ad prolem gignendam, non autem requiritur ut tradatur *jus proximum et expeditum*. Exemplum adducunt de pupillo, qui utique dominium verum acquirit, illud autem non obtinet expeditum.

2^o. Adsunt exempla piarum personarum, quæ ligatæ erant voto perpetuæ virginitatis servandæ, quæ proinde vel contraxerunt cum conditione servandæ virginitatis, vel sese exposuerunt periculo votum violandi. Cum hoc alterum nequeat supponi, primum tenendum est.

Ergo valet tale matrimonium.

21. Aliorum sententia est, conditionem servandæ castitatis, si deducatur in pactum contractus conjugalis, adversari substantiæ matrimonii. Nam per hanc conditionem vir abdicat a se potestatem in corpus mulieris, et vicissim mulier abdicat a se potestatem in corpus viri, et formula contractus hæc esset: Trado tibi jus quod non recipias, quæ formula certe contractum destruit. Hinc renunciatio expressa et absoluta *usus* potest utique fieri *post acceptum jus*, quin contractus destruat, quia contractus jam est celebratus, si autem fiat in ipsa contractus celebratione, contractus non perficitur. Nec valet exemplum pupilli, quia interdictio exercitii juris non est absoluta et perpetua, sed est temporanea, nec repugnat aliquem posse recipere jus, quod illico non exercent.

22. Quoad vero matrimonia celebrata a piis personis obstrictis voto perpetuæ castitatis (non loquimur de voto solemni in sensu juris, quod matrimonium dirimit), adverti potest, propositum seu promissionem, servandi castitatem, antecedens matrimonium, non officere valori contractus, dummodo expresse non deducatur in pactum. Nam contractus celebratus absque adjecta conditione habetur uti absolute celebratus, et constans omnibus suis essentialibus elementis. Hinc revera locum habet plena traditio juris. Solummodo pars quæ castitatis voto ligatur, sese exponit aut saltem sese exponere potest periculo violandi votum, et ex hoc capite matrimonium est *illicitum*.

23. Sed si conjux qui voto ligatur ex divina revelatione sciat alium conjugem non esse usurum jure, quod recipit, poterit non

solum *valide* sed etiam *licite* matrimonium contrahere, atque ita explicatur quomodo inter Beatissimam Virginem, et S. Josephum extitit verum et licitum matrimonium non obstante voto virginitatis præexistente ipsius Sanctissimæ Virginis Mariæ. Ita S. Thomas in 4. Sent. dist. 30. quæst. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2. et Bened. XIV. De Syn. lib. 13. c. 22. præsertim num. 9. et seqq.

24. In hoc capite 22. fuse pertractat Pontifex quæstionem circa valorem matrimonii Calvinistarum cum illa conditione: 'Accipio te et juro quod non deseram, donec in honestate permanseris' et docet matrimonium valere si conditio hæc expressa non fuerit in contractu; non valere autem, si fuerit expressa. Ratio secundæ partis apparet ex eo quod dissolubilitas in casu adulterii est contraria substantiæ matrimonii quod est perpetuus contractus. Hinc deducta in pactum, matrimonium irritat. Ratio autem primæ partis est quia quicumque contractum vult, et simpliciter exprimit consensum, vult necessario substantiam contractus ipsius et quamvis contrahentes versentur in errore dissolubilitatis ex capite adulterii, tamen cum intendant contrahere matrimonium quod Christus instituit, præsumuntur implicite voluisse completam perpetuitatem contractus.

Animadvertit vero Pontifex in Ritualibus Calvinianis ita formam matrimonii exprimi, ut dissolubilitas ex capite adulterii procul dubio ceu conditio ingrediatur ipsam celebrationem contractus.

Quare ceu principium statui potest, intentionem contrariam substantiæ matrimonii deductam in pactum, matrimonium ipsum nullum reddere prout etiam Congregatio S. Officii pluries declaravit, cujus resolutiones legi possunt penes Benedictum XIV. loc. cit. n. 8.

25. Non autem intentione ista matrimonium invalidari si solummodo in mente extiterit, nec deducta fuerit in pactum contractui adjectum.

De conditionibus apposis in sponsalibus.

26. Communis sententia est, conditiones adjici posse sponsalibus. Nullibi enim in jure interdicitur sponsalium conditionatus contractus. Hinc invocari potest adagium glossæ in cap. 2. De transl. Episcopi v. 'Non invenitur' 'Concessum intelligitur quod expresse non prohibetur'. Effectus conditionis in sponsalibus idem erit, ac est in aliis contractibus, ut scilicet obligatio non enascatur ante completam conditionem.